

Dl. 12.



CHRISTO AVSPICE 55
DE
FATIS BYZANTINIS
A.D. XXIX NOVEMB. HORIS POSTMERID.
IN SCHOLA EPISCOPALI
DECLAMABITVR.
AD AVDIENDVM INVITAT
M. CHRISTOPHORVS CELLARIUS,
RECTOR.

CIZAE EXSCRIPSIT FRIDEM. Hetstädt/ A. 1686.



CHIUSILO
VIA LIBERTÀ

三

CHITTAJAGUROGAON

ДИЗАЙНОР УДОБНОСТИ ОНЛАЙН-КАРДИНАЛ

12 AUGUST 1970

卷之三

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES
DA





الْرَّحْمَنِ الْرَّحِيمِ مُبِينٌ



Onstantinum, quem ex merito in ecclesiam Magnum adpellamus, rerum sedem ex Italia Byzantium transtulisse nemo ignorat: quæ causâ tam insolentis consilii fuerit, non omnes eadem diuinandi sollertia coniiciunt. Fratris filius Julianus, cui Apostatae cognomen ex desertis Christianorum sacris impositum est, oratione I de Constantii laudibus pag. 14 prodigiæ atque luxui mutationem sedis principalis videtur imputasse. Cum enim superiores principes immensos thesauros ἀναχθοῦσι τῶν βασιλείων in palatii penetralibus congeſſissent, τὸ πλεῖστον ἀφελῶν ἐπέκλυσεν αὐτῷ τῷ πλάγῳ πόντα, πόλιν τε ἐπώνυμον αὐτῷ κατέσησεν, ruptis clauſtris ait Constantinum omnes profudisse, sui nominis urbem edificando. Sed sinistro erga patrum adfectu Julianum fuisse, vel soli Cæſares eiusdem extremo opere argumento sunt, quo false Constantini a priscis sacris discessionem exagitat. Aliam ergo cauſam ut inquiramus, cui fidem habere possumus, nec tamen consultum tutumque ducimus, a christianis illam scriptoribus haurire, ne cauſæ suæ inferuissse obiciatur; sed gratior veritas erit, quam ipsi nobis hostes profitebuntur. Historicorum, qui rebus ad Christianos translatis, ad scribendum se contulerunt, vix peruicacior & infenſior christianæ cauſæ est, quam Zosimus Exaduocatus Fisci, qui quoties vel leuem rationem inuenisse putat, non desinit Constantinum fugillare & vel optimas eius res reprehendere. Hic vero quamuis iniqua multa censuſſet de hoc principe, in hoc tamen, quod res est, scripſisse vide-

detur, cum libro ii cap. xxix & xxx caussam 'deserendæ Romæ significaturus, die quodam festo inquit in Capitolium cum *σπαντεδῳ comitatu aulico* adscendendum fuisse, quem ritum cum imperator christianus improbasset, tantum senatus atque populi odium incurrisse, vt, cum execrations haud perferre posset, quibus vndique petebatur, πόλιν ἀντίρροπον τῆς Ρώμης urbem Romæ aequalē quæsierit, in qua βασιλεῖα palatium sibi exstrueret. Ita omnino est, & superstitionis paganæ pertæsus princeps maluit extra Romam viuere, quam videre & tolerare paganorum impietatem. Etsi enim lux cœlestis vbique terrarum suos radios diffundebat, tenacior tamen Roma induratæ cæcitatis erat, quam vt principem suum secuta ridiculos ritus eiuraret, vt ad Honorii usque tempora & ulterius etiam in senatu fuerint, qui voce & litteris contra christianos atrociter pugnarent. Vrbem ergo exstructurus, quæ vacua impietatis paganæ Christo vnice deuota esset, primum nouam in Troadis litora moliebatur, mox Byzantii situm admiratus & christianos vrbis ritus, ibi se inuenisse credidit, quod Romæ frustra quæsierat. Erat enim Byzantina ciuitas, Orosio auctore lib. viii cap. xxviii, sola expers idolorum, sine dæmonum templis simulacrisque, de qua etiam Sozomenus ait lib. ii cap. iii ἀπαντάς ἀυτῷ χριστιανίζειν, omnes ibidem Christum coluisse. Pia erga & honesta causa inductus christianus imperator mutandam imperii sedem decreuit, nec id sine diuinis auspiciis. Ipse enim Lege vii Cod. Theodos. de Nauicular. Pro commoditate vrbis, inquit, quam aeterno nomine, IVBENTE DEO, donauimus, quanquam nusquam doceatur, quo iussionis modo illud Deus imperauerit. Silent Græci scriptores: Latini posteriores coniecturant, quorum verba Carolus du Fresne in Constantinopoli Christiana lib. i cap. i in vnum collegit & luculenter exposuit. Nos securi de modo, rem ipsam, imperatore adfirmante, non inuiti credimus, vt causæ haud satis illi hominum generi sit, qui a *politica* sibi nomen imponunt, vt pientissimum imperatorem reprehendant, quasi mutata imperii sede fores diminutioni eiusdem aperuerit. Potior imperatori Christus erat & verus de Deo sensus, quam orbis terrarum, & ynice lætabatur, in noua vrbe, quam dedicauerat, omnia san-

sancta & diuina esse, absurdos gentilium ritus procul inde exulare. Felix tum & beata Constantinopolis fuit, cum tota Christo vacaret, Christum sonaret, & verum vnumque Deum tota coleret. Quantum nunc ab illa mutata est Constantinopolis Turcica? quam spurcis & execrandas sacris profanata? raro ibi Christus auditur, cultores eius in angustias Peræ seu suburbii, quid? quod in ergastula, in seruitutem coacti omnes sunt. An vero liberationis spes vlla superstes, fore, vt hæc primaria vrbs Turcorum Christiana iterum fiat, & barbara gens nomen Christo nostro profiteatur? Arduum est tantas res sperare, neque tamen supra nostram fidem, minus supra vel potentiam Dei, vel abundantissimam clementiam. Si quis nuper circa Vindobonensem obsidionem prædixisset, breui fore, vt Turci saepius acie victi meliores munitioresque partes Hungariæ, Epiri & Peloponnesi amitterent, neminem puto futurum fuisse, qui fidem facile haberet. Deus vero efficere potest & effecit etiam, quæ præter spem & opinionem omnium fuerunt. Vt cunque ergo difficilis, immo incredibilis Turcorum ad ecclesiam inductio videatur, tamen, si Deo visum fuerit, quod omnes exoptamus; nihil tam difficile erit, quod tantam salutem impedire possit. Iudæorum conuersionem vniuersalem sperant, exspectant Christianorum plerique, oraculis haud obscuris, vt adparent, ad faciliorem fidem adducti. At vero longius a Christo alienati Iudæi, quam Turci, sunt, non occultæ in sacratissimum Iesu nomen blasphemiaræ rei, etiam proterua criminatio in sanctam eius matrem iniurii, vt vel solus maledicus liber *Toldos Ieschu*, nuper a Wagenseilio, clarissimo viro, e latibulis in lucem protractus, argumento luculentissimo est. Turci autem, quamlibet crudeles & saui in Christianos sunt, & identidem illud Alcorani Surata ix ingeminant *قتلوا الذين لا يؤمنون* occidite eos,

qui fideles non sunt, hoc est Christianos; tamen de Messia nostro longe honestius, quam tribules eius Iudæi, sentiunt. In Alcorano enim Surata iv circa finem præclare fatentur, *الْمَسِيحُ عَبْدُهُ* مسيح عبد الله و كلامه دروح مسيح *Messias Jesus*

fili-

filius Mariae, legatus Dei, & verbum eius, & spiritus ex eo: & Alcoranum suum Mohammedes passim prædicat **وَالْجَبَلُ مَصْدِقُ النَّوْمِيَّةِ** (vid. Surat. 111 in pr. & alibi) qualis confessio a Iudeis extorqueri nondum potuit, & licet ipsi militares, quam Turci, adpareant, tamen vel pares crudelitate vel superiores sunt, ut ex speratis ipsorum victoriis, quibus gentes Messias deleturus sit, abunde manifestum est. Vnius & recentissimi Abdanæ testimonium in Numer. xxiv. 17 sufficiat, qui vt Messiam nondum venisse demonstret, tanquam certissimum argumentum adfert, quod **וְיַעֲקֹב֙ וְיַעֲמֹד֙ כִּי־לֹא־כִּי** ex Iudeis adhuc non prodierit, qui omnes nationes conculcaret & deleret funditus. Certe si tantum armis & robore Iudei, quantum animis & iracundia valerent, nemo Christianorum superstes esset. Quod si vero de illorum mitigandis ingenii non desperamus, neque omnis spes de Turcorum emendatione præclusa erit, quos a vero de Christo sensu proprius, quam Iudeos, abesse iam ostendimus. Feritas illorum vel origini Scythicæ tribuenda, vel locorum, quæ colunt, naturæ & ingenio. Neutrum obstaculo potest esse, quo minus ad Christiana sacra perduci possint. Qui ex eadem patria profecti sunt, **Ővýseg** siue **Hungari**, ideoque **Τάγηοι** **ωρές εαστέργενι** **Turci occidentales**, medii æui scriptoribus appellati, longe barbariores fuerunt, quam Turci nostræ ætatis sunt, qui multum feritatis consuetudine cultiorum gentium exuerunt; Vngri tamen breui post tempore, quam in Europam se infuderant, sub Constantino VIII Græcorum imperatore, Christo vt Deo nomen suum professi sunt. Thracia inter Turcorum regiones primaria & sedes imperatoris ac supremi consilii, & inter Thraciæ gentes saeuissimi quondam Bessi habebantur, ex quorum ingenio Turci forsan hauserunt, quod imitantur: nihilominus Hieronymo testante epistola 111, **Bessorum feritas & pellitorum turba populorum stridorem suum in dulce crucis fregerunt melos**, & illorum etiam, ut ceterarum gentium, **vox una CHRISTVS fuit**. Quam Bessis ergo antiquis lucem, quam Bulgaris & Vngris Deus **Φιλάνθρωπος** concessit, hanc ne despe-

re-

remus recentibus illorum successoribus impetrari posse, sed serio
precemur, vt non solum armorum victoriis subigantur, quas De-
us velit perpetuas esse; sed in primis etiam fulgore diuini lumi-
nis perstringantur, quo Mohamedicos errores detestati Christum
communem nobiscum seruatorem adorent, & vt hostes crucis
acerbissimi fuerunt, ita in posterum non minus eam, quam Con-
stantinus & alii antiquæ ecclesiæ principes, venerentur. Hæc
vota nobiscum per sequentur multæ spei & præstanti ingenio ad-
olescentes, qui inter Christianorum gratulationes & triumphos
publice declamaturi, non aliam sibi, quam de *Byzantinis fatis*
materiem hoc tempore magis conuenire putauerunt. Eam au-
tem sic elaborarunt diuisa opera, vt qui sæpius in hac palæstra ste-
tit, illustri exemplo, quod domi suæ habet, excitatus, B V R C A R-
DVS GOTTHELF STRVVIVS, Vinariensis, in *Origines*
Byzantinæ urbis inquirere; GEORGIVS autem WILHEL-
MVS von der Lage / itidem Vinariensis & æmulus virtutum
paternarum, eiusdem *urbis fata ad Constantinum usque amplifica-*
torem enarrare: CHRISTIANVS GOTTFRIED Garmanus
nostrâs, & JOHANNES BOSSEK, ex Lipsiensi agro Scau-
ticensis, vterque modestiæ laude in primis commendandus, a Con-
stantini ætate ad nostra tempora *Byzantii fortunam* perducere;
alter quidem sub *Christianis principibus*; alter sub *tyrannis Turcicis*,
secum constituerint. Miris sane hæc ciuitas fatis, si quæ alia, vfa
fuit, vt non frustra per omnem ætatem sibi *lunæ symbolum* depo-
poserit. Non enim recens Turcorum institutum est, in omni-
bus auspiciis *lunæ falcatae signum* præferre: sed antiquissimis tem-
poribus in vsum receptum confirmatumque fuit. Augusti Cæsa-
ris enim, Traiani, Iuliæ Domnæ Augustæ, Seueri vxoris, Caracallæ,
& aliorum nummi cum epigraphe BYZANTIΩN lunam cornutam
cum stella ita constanter exhibent, vt diligentissimus antiquitatum
scrutator Ioannes Harduinus de Nummis populorum & vrbium
pag. 104 edixerit: *Vrbis Byzantii vulgare symbolum lunæ crescen-*
tis effigies cum stella. Quod alii ita interpretantur, quasi a Philip-
po Amyntæ obfessa lunæ beneficio, ne insidiis caperetur, liberata
fue-

fuerit: aliis vero , varios casus perpetua vrbs nec semel euersa,
hoc signo instaurationem videtur significasse.^{non} Sed æque de-
crescentis imperii Turcici possit portentum esse, aut si incremen-
ti omnino nota, optamus, vt quæ lunæ natura est, a sole suo, id est
Christo communi seruatore, lumen diuinum nacta , christianis
se ritibus ac sacris propediem addicat, vt euangelii mysteria Ara-
bice crebrius, quam adhuc fieri potuit , & Turcice noua dia-
lecto per tot dissitas regiones personent. Sed vota pia & christi-
ana sunt, non auguria, quamvis nec illa forsan ex priscis carmi-
nibus deesse possint. Nihil addimus, quam vt patronos studio-
rum nostrantium fautoresque observanter rogemus, vt crafina lu-
ce post meridianas preces nostris declamatoribus adesse, & tam
scholæ benigniorem affectum præsentia sua denuo ostentare,
quam adolescentes iudicio suo atque adplausu, si merentur , ac-
cendere , & ad maiora capessenda exhortari, ne dedignentur .
Ceteros Musarum cultores etiam sine precibus nostris sponte
sua aduolatuos esse, proliorum in bonas litteras amore speramus
atque confidimus. PP. Cizæ iv kl. Decemb. cœc 1586.




Nr 3165,
S 8°

WDF

Ant





Farkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres
Inches



AVSPICE

ZANTINIS

HORIS POSTMERID.

EPISCOPALI

BITVR.

INVITAT

VS CELLARIVS,

OR.

EM. Hetstädt A. 1686.

55

ff.

